

PONTIFICIA COMMISSIONE
CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. IX - N. 1

1977

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIONE CODICI IURIS
CANONICI RECOGNOSCENDO

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

NUM. 1

IUNIO 1977

EX ACTIS PAULI PP. VI

Const. Ap. <i>Vicariae potestatis in Urbe</i>	3
Litt. Ap. - De Abbatiarum nullius innovatione	14
Litt. Ap. - Consilium pro Laicis denuo ordinatur	16
Litt. Ap. - Pont. Comm. a Iustitia et Pace denuo ordinatur	19
Allocutio ad Sacram Romanam Rotam	23
Allocutio ad Conventum Iuris Can. Intern. in Pont. Univ. Gregoriana	29

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

Sacra Congregatio pro Doctrina Fidei

Responsa circa sterilizationem	34
Declaratio circa admissionem mulierum ad sacerdotium ministeriale	36

Pontificia Commissione Decretis Concilii Vaticani II interpretandis

Responsum ad propositum dubium	51
--	----

ACTA COMMISSIONIS

I. Schema « De Institutis vitae consecratae » transmittitur	
<i>Litterae transmissionis</i>	52
<i>Praenotanda</i>	53
II. Congregatio Plenaria	62
<i>Relatio Card. Praesidis</i>	62
<i>Conclusio - Allocutio Summi Pontificis</i>	81
III. Opera Consultorum in apparandis schematibus	83
Coetus specialis « De Lege Ecclesiae Fundamentalí » (cann. 35-65; 30)	83
Coetus de iure matrimoniali (Schematis cann. 242-264)	117
Coetus de iure poenali (De poenis aliisque punitionibus)	147

DOCUMENTA

Oratio Card. P. Felici: <i>Formalitates iuridicae et aestimatio probationum</i>	175
Prolusio Card. Praesidis apud Pont. Un. Gregorianam	184
Relatio Exc.mi D. R. I. Castillo Lara, Secretarii, apud Pont. Un. Gregorianam	187
Notitiae	195

COETUS STUDIORUM DE IURE MATRIMONIALI

Postquam « Schema documenti pontificii quo disciplina canonica de sacramentis recognoscitur » Conferentiis Episcopali bus, Sacris Romanae Curiae Dicasteriis et Universitatibus studiorum ecclesiasticis pro consultatione missum fuerat, 172 vota ab his organis Pontificiae Commissioni Codici Iuris Canonici recognoscendo pervenerunt, quibus animadversiones et suggestiones de novo iure de sacramentis factae sunt.

Ad examinandas et perpendendas animadversiones, quae tangunt novos canones *de iure matrimoniali*, parvus aliquis coetus constitutus est quibus praefuerunt Exc.mus Castillo Lara, Secretarius Commissionis, Rev.mus Onclin, Secretarius adiunctus, P. Huizing S. I. Relatore.

ADUNATIO I

Primae adunationi diei 21 februarii praefuit Card. Felici, Praeses Commissionis.

Ante omnia examinatae sunt aliquae animadversiones ordinis generalis, quae ita enucleari possunt:

— De schemate in genere fere omnes laudes fecerunt etsi animadversiones circa hunc vel illum canonem non omiserint; merito, ergo, dici potest schema placuisse iuxta modum. Tres tantum, ex organis qui responsionem dederunt, schema omnino reiecerunt eo quod non magnas innovationes contineat vel quia situatio nondum matura est pro novo iure matrimoniali, cum non satis adhuc evoluta sint praesupposita novae theologiae, vel quia in schemate pree oculis habetur situatio christianorum prouti est in Europa et America minime vero prouti est in locis missionum.

— Uni Conferentiae Episcopali videtur schema pervasum esse cura praeveniendi pericula vel statuendi capita nullitatis, sine mentione amoris Christi Redemptoris et unionis Christi et Ecclesiae, cui matrimonium uti signum ordinatur. Item aliqua Universitas censet schema pervasum esse logica contractus, et dimensione ecclesiali matrimonii carere.

— Aliqui conquesti sunt ex eo quod in schemate non dirimatur quaestio de relatione inter fidem et sacramentum matrimonii an scili-

cet baptizati, qui fidem amiserunt, contrahere possint matrimonium-sacramentum.

— Quaestio facta est de sensu non stricte iuridico quorundam verborum vel locutionum quae mutuatae sunt ex testibus Concilii Vaticani II; animadvertisunt scilicet plura in Concilio dicta fuisse sensu pastorali quae non possunt transferri simpliciter in textum iuridicum, ubi valorem novum assumunt qui consequentias habet in ordine ad ipsam validitatem matrimonii.

— Nonnulli votum fecerunt ut maior cura adhibeatur ad terminologiam omnino constantem in toto schemate assequendam, quae, praeterea, non discrepet a terminologia quae adhibita est in normis quae novam liturgiam ordinant.

— Circa facultates, quae in schemate tribuuntur Episcoporum Conferentiis statuendi normas de matrimonio, suggestum est ut tales facultates ad eas tantum restringantur quae tangunt liceitatem non autem validitatem matrimonii, ut in re tanti momenti vitetur confusio quae magna fieri potest sive in ordine ad celebrationem matrimonii, sive in ordine ad causas matrimoniales. Non desunt, e contra, qui ampliores facultates pro Episcoporum Conferentiis postulaverunt praesertim quod attinet ad formam extraordinariam matrimonii, ad coniugum separationem, ad prolis legitimationem, etc.

— Est qui censeat (duo tantum tamen animadversiones de hac re factae sunt) munus et competentiam Ecclesiae ferendi leges de matrimonio restringi debere ad ea tantum quae directe pertinent sacramentalitatem ipsius, legibus civilibus remissis iis quae tangunt matrimonium ut institutum naturae (ex. gr. materia impedimentorum, consensus, etc.).

— Conferentia aliqua Episcoporum quamvis laudet nisus Commissionis accommodandi leges evolutioni iurisprudentiae, timorem exprimit ne aliquibus videatur finem legislationis matrimonialis esse etiam praebere maiorem possibilitatem declarationum nullitatis matrimonii.

* * *

Consultores aliquas considerationes faciunt circa singulas quaestiones generales nuper recensitas, attamen praevalet mens nihil decidendi modo generali, cum animadversiones illae prolatae sint a paucis omnino organis consultationis, dum e contra maioritati organorum schema in

genere placuit. Ipsi Consultores vero piae oculis illas animadversiones generales habebunt, ita ut quando singuli canones examinabuntur, mutationes proponant, si quas proponendas habeant, quibus ratio habeatur de illis animadversionibus. Ceterum, notatum est, praecipuae illae animadversiones generales quaestiones implicant ordinis theologici quarum solutio non spectat Commissioni nostrae.

* * *

Quod attinet ad dispositionem systematicam canonum de matrimonio, fere omnes approbaverunt sistema novi schematis, quod ceterum reproducit sistema Codicis vigentis. Non defuerunt tamen qui novum ordinem proposuerunt; ex. gr. aliqua Conferentia Episcoporum hunc ordinem proposuit: Canones praeliminares, celebratio matrimonii, admissio ad celebrationem, impedimenta, cura pastoralis pro nuptu- rientibus.

Consultores autem, unanimi consensu, proposuerunt ut servetur ordinatio systematica prout est in schemate, salva aliqua parva immutatione quae structuram substantialem non tangat.

Immutatio aliqua proposita est circa ordinem canonum praeliminarium, quam Consultores considerare volunt, quaeque ab aliquo consultore ita denuo proponitur:

- Can. 242 = can. 242 schematis, scilicet de matrimonio sacramento.
- Can. 243 = can. 243 schematis, scilicet de notione matrimonii.
- Can. 244 = can. 295 schematis, scilicet de consensu qui matrimonium facit.
- Can. 245 = can. 246 schematis, scilicet de competentia Ecclesiae.
- Can. 246 = can. 244 schematis, scilicet de favore iuris.
- Can. 247 = can. 245 schematis, scilicet de terminologia.
- Can. 248 = can. 247 schematis, scilicet de sponsalibus.
- Can. 249 = can. 248 schematis, scilicet de cathechetica instructione.

Immutatio praecipua habetur per translationem can. 295 (de consensu) in canones praeliminares. Ratio est quia ita ordo magis logicus apparet: post definitionem matrimonii naturalis eiusque proprietates sermo fit de consensu, causa, quae suppleri non potest, matrimonii, eiusque obiecto. Can. 295 ideo obtinet locum eminentiorem, prout oportet, dato eius momento doctrinali et iuridico; nec ex hac translatione sequitur incommodum grave pro capite de consensu: illud

caput — collocatum post caput de impedimentis dirimentibus — aget tantum de iis quae impediunt quominus consensus efficax emittatur.

Consultores generatim hunc novum ordinem approbant, tamen quaestio aliqua habetur de cann. 243 et 295.

Circa can. 243 unus Consultor praferret illum initio ponere, siquidem contineat notionem matrimonii, alii autem praferunt ut primum locum teneat can. 242 (de sacramentalitate matrimonii), quia ratio sacramenti fundat praecipue Ecclesiae competentiam.

Circa can. 295 aliud Consultor praferret illum in capite de consensu servare ratione integritatis illius capitis.

His disceptatis, fit suffragatio circa novum ordinem canonum preliminarium.

Exitus suffragationis hic est: novus ordo omnibus placet; duobus tantum Consultoribus non placet transferre can. 295.

* * *

Deinde incipit examen animadversionum quoad singulos canones, secundum novum ordinem nuper approbatum.

Can 242 (CIC 1012)

§ 1. Christus Dominus ad sacramenti dignitatem evexit ipsum contractum matrimoniale inter baptizatos.

§ 2. Quare inter baptizatos nequit matrimonialis contractus validus consistere, quin sit eo ipso sacramentum.

De can. 242 § 1

Plures fecerunt animadversiones circa verbum « contractus », quod substituere volunt pro verbo « foedus ».

Aliquis consultor censem propositionem hanc admitti non posse, quia verbum « contractus » indicat matrimonium in fieri, dum verbum « foedus » indicat matrimonium in facto esse. Alius Consultor autem animadvertisit verbum « foedus » in Constitutione *Gaudium et Spes* adhibitum esse ad indicandum matrimonium in fieri. Tertius Consultor admittit verbum « foedus » aliquando adhibitum esse pro matrimonio in fieri, sed plerumque adhibitum esse pro matrimonio in facto esse.

Quidquid sit tamen de usu verbi « foedus » in Constitutione *Gaudium et Spes*, omnes Consultores convenient in hoc quod verbum

« contractus » supprimi omnino nequit, quia in hoc canone agitur de matrimonio ut instituto naturae quod evehitur ad dignitatem sacramenti; iam vero matrimonium ut institutum naturae est contractus. Tamen pro adhibendo simul etiam verbo « foedus » in hoc primo canone succurrit propositio alicuius Conferentiae Episcopalis, quae hanc redactionem suggestit: « Christus ... exiit ipsum contractum matrimoniale inter baptizatos quo foedus coniugale instauratur ».

Consultores attentam analysis faciunt huius novae formulae et concordant addictionem propositam esse tautologicam. Quare praevallet ratio servandi textum prout est in schemate, eo vel magis quod verbum « foedus » iam habetur in canonibus praeliminaribus, post translationem can. 295 inter ipsos canones praeliminares.

Relator tamen invitat Consultores ut examinent aliam formulam can. 242 propositam ab aliquo Episcopo, nempe « Ex Christi institutione unio matrimonialis inter baptizatos signum est unionis Christi et Ecclesiae ».

Aliqui Consultores tenent formulam schematis non esse mutandam; alii autem censem nisus novae formulationis non spernendos esse.

Duo Consultores volunt hanc alteram formulam pree oculis habere ad novum textum exarandum, quem ipsi in proxima adunatione exhibebunt.

ADUNATIO II

Initio duea aliae formulae can. 242 § 1 exhibentur, scilicet:

« Ex institutione Christi ad sacramenti dignitatem evehitur ipse contractus matrimonialis inter baptizatos, foedus coniugale instaurans quo mysterium unitatis et foecundi amoris Christum inter et Ecclesiam significant et participant et spiritu Christi roborantur, ita ut sibi invicem in propria perfectione et sanctificatione atque in prolis susceptione et educatione adiutorio sint ».

« Ex Christi institutione ad dignitatem sacramenti et signi unionis Christi et Ecclesiae evehitur ipse contractus matrimonialis inter baptizatos, quo foedus coniugale instauratur ».

Consultores attente examinant ambas formulas, suasque animadversiones faciunt, at concordia de uno vel alio textu difficilis evadit, quare melior conclusio videtur standi in decisio, servandi scilicet formulam prout est in schemate.

De can. 242 § 2

Quidam sive ex Episcoporum Conferentiis sive ex Studiorum Universitatibus quaestionem fecerunt utrum omnis contractus matrimonialis inter baptizatos sit « eo ipso sacramentum » etiamsi partes contrahentes fide careant. Quare votum fecerunt vel ut quaestio profundius investigetur, vel ut canon compleatur per clausulam « servatis iis quae ad validam sacramentorum receptionem requiruntur », vel ut dicitur « inter christifideles » loco « inter baptizatos », vel ut canon penitus deleatur.

Consultores unanimiter fatentur non esse nostrae Commissionis hanc quaestionem dirimere et usque dum quaestio theologica ab organis competentibus non solvetur alio modo, necesse est ut leges fundentur in praesuppositis theologicis communiter admissis. Ideoque Consultores censem canonem minime esse mutandum.

Aliquis Consultor proponit ut saltem supprimatur verbum « quare »; alii Consultores ne hoc quidem verbum supprimere volunt, ne videatur Commissio praejudicium quodquam ponere voluisse in ordine ad ipsam quaestionem doctrinalem de qua sermo est in hoc canone.

Can. 243 (CIC 1113)

§ 1. Matrimonium, quod fit mutuo consensu de quo in cann. 295 ss., est (intima) totius vitae coniunctio inter virum et mulierem, quae, indole sua naturali, ad prolis procreationem et educationem ordinatur.

§ 2. Essentiales matrimonii proprietates sunt unitas ac indissolubilitas, quae in matrimonio christiano peculiarem obtinent firmitatem ratione sacramenti.

Quoad § 1

Quidam (paucissimi omnino) petierunt suppressionem huius canonis quia omnis definitio in iure periculosa; sed maior pars bene locuti sunt de canone, quamvis non desint animadversiones aliquae circa redactionem.

Praecipuae quaestiones hae sunt:

a) De verbis « quod fit mutuo consensu de quo in cann. 295 ss. » omnes Consultores concordant ut supprimantur cum iam can. 295 translatus sit inter canones praeliminares.

b) De verbo « intima » maior pars organorum consultationis pe-

tierunt ut retineatur in textu canonis. Etiam Consultores concordes sunt ut retineatur, etsi verbum hoc nihil addat canoni in sensu conceptuali et technico, attentis verbis « totius vitae coniunctio ».

c) De verbo « totius » suggestum est a tribus organis ut supprimatur. Consultoribus autem placet hoc verbum retinere.

d) De verbo « coniunctio » quidam dixerunt se praeferre verbum « communio », alii autem « consortium »; alii vellent qualificare « coniunctionem » addendo « coniunctio permanens » vel « arctissima communio », etc.

Aliquis Consultor censet prae omnibus seligendum esse verbum « coniunctio », quia in canone sermo est de matrimonio in fieri. Alius Consultor praefert verbum « consortium ».

Post brevem discussionem fit suffragatio: an placeat verbum « coniunctio »: Placet n. 5 - Non placet n. 2.

e) Circa verba « quae indole sua naturali ad prolis procreationem et educationem ordinatur » duae praecipuae quaestiones factae sunt, quod nempe sub his verbis latet indirecta affirmatio de hierarchia finium matrimonii et quod opportunum sit ut etiam alii fines matrimonii in canone recenseantur.

Ad primam quaestionem respondet unus Consultor, qui dicit tex- tum canonis non fuisse bene interpretatum a quibusdam organis consultationis, quae censuerunt in canone directe affirmari finem matrimonii esse procreationem. E contra mens Coetus fuit statuere in quo consistat matrimonium: matrimonium fundamentaliter est coniunctio vitae quae coniunctio ordinatur ad prolem; fines autem matrimonii includuntur in hac definitione, quia coniunctio ordinata ad prolem importat sive procreationem, sive mutuum adiutorium, sive remedium concupiscentiae etc., quin in canone directe vel indirecte aliquid dicatur de hierarchia finium. Ut melius haec mens Coetus reddatur, formula posset ita mutari: « ... quae indole sua naturali *etiam* ad prolis procreationem ... ordinatur ».

Circa secundam quaestionem aliqui Consultores non sunt contrarii ut mentio fiat etiam de fine personali matrimonii, quare variae propositio- nes perpenduntur et tandem ex compositione duarum formula- rum propositarum a duobus Consultoribus trahitur haec nova for- mula, quae omnibus Consultoribus placet:

« Matrimonium est viri et mulieris intima totius vitae coniunctio quae indole sua naturali ad bonum coniugum atque ad prolis procreationem et educationem ordinatur ».

Quoad can. 243 § 2

Examinatur suggestio alicuius Conferentiae Episcopalis ut potius in hoc canone dicatur omnia matrimonia esse intrinsece indissolubilia, quaedam autem extrinsece dissolubilia per interventum Ecclesiae.

Post aliquam discussionem, Consultores concordant hanc suggestiōnēm quaestiones doctrinales tangere, quae non possunt nec debent a nostra Commissione resolvi.

Aliquis Consultor proponit ut dicatur: « ... quae in matrimonio christiano ratione sacramenti peculiarem obtinent firmitatem ». Consultores omnes concordant.

Can. 244 (can. 295 schematis)

§ 1. Matrimonium facit partium consensus inter personas iure habiles legitime manifestatus; qui nulla humana potestate suppleri valet.

§ 2. Consensus matrimonialis est actus voluntatis quo vir et mulier foedere inter se constituunt consortium vitae coniugalis, perpetuum et exclusivum, indole sua naturali ad prolem generandam et educandam ordinatum.

Quoad § 1

a) Circa hunc canonem paucissimae quaedam suggestiones factae sunt ad inducendam aliquam mutationem. Proponitur ex. gr. ut dicatur: « Matrimonium a Deo institutum, quod iure divino regitur, facit partium consensus etc. », vel « Matrimonium instauratur consensu personali et irrevocabili inter virum et mulierem iure habiles ... », vel « facit partium consensus amore coniugali animatus inter personas etc. ».

Consultores post brevem disceptationem harum suggestionum, concordant ut textus canonis retineatur prouti est in schemate.

b) Alia suggestio facta est ab aliqua Conferentia Episcopali Africana, secundum quam consensus matrimonialis in cultura africana est eventus progressivus inter ambas partes et familias; difficile aut impossibile est determinare quandonam definitus factus est.

Animadvertisit, iuxta investigationes hac de re peractas, quod etsi dentur actus progressivi, si attente tamen res consideretur apparent clare quod in aliquo stadio verus consensus habetur, ita ut omnes actus praecedentes considerari possint tamquam preparatorii ad matrimonium.

Quoad § 2

Textus canonis praebet descriptionem obiecti consensus; cum autem data sit notio matrimonii in canone praecedenti, cui immediate sequitur iste canon de consensu, iam superfluum est *describere* obiectum consensus, et sufficit dicere obiectum consensus esse matrimonium; quare Consultor quidam proponit ut canon iste ita redigatur:

« § 2. Consensus matrimonialis est actus voluntatis quo vir et mulier sese mutuo tradunt et accipiunt ad constituendum matrimonium ».

Alter Consultor censem canonem istum, ita recognitum, esse inutilem quia nihil novi dicit quod non habetur in § 1.

Primus Consultor respondet canonem non esse superfluum, quia in ipso indicatur quodnam sit obiectum consensus et continetur aliquid novum per verba « sese mutuo tradunt et accipiunt ».

Fit suffragatio an placeat hic textus: Placet n. 6 - Non placet n. 1.

Post approbationem huius canonis, notatum est iam verbum « *foedus* » disparuisse a canonibus praeliminariis, quare pluribus Consultoribus placet represtinare formulam can. 242 § 1, prout proposita ab aliqua Conferentia Episcopali, scilicet:

« Christus Dominus ad sacramenti dignitatem evexit ipsum contractum matrimoniale inter baptizatos quo *foedus coniugale instauratur* ».

Fit suffragatio an placeat haec formula: Placet n. 5 - Non placet n. 1 - Abstinet n. 1.

Alii autem Consultores instant ut etiam in can. 244 § 2 introducatur verbum « *foedus* », ideoque suffragatur an placeat dicere:

« Consensus matrimonialis est actus ... quo ... et accipiunt ad constituendum foedus matrimoniale ». Placet n. 2 - Non placet n. 5.

Fit suffragatio an placeat dicere: « ... quo vir et mulier *foedere irrevocabili* sese mutuo tradunt et accipiunt etc. ». Placet n. 4 - Non placet n. 3.

ADUNATIO III

Can. 245

Matrimonium, utpote humanae consortio principium et fundatum, civilem quoque societatem spectat; sed cum matrimonium inter baptizatos initum adnumeretur inter novae legis sacramenta,

disciplina eius et cura, quod ad integratatem sanctitatemque attinet, a Christo Ecclesiae commissae sunt. Matrimonium baptizatorum, etsi una tantum pars sit baptizata, regitur iure non solum divino, sed etiam canonico, salva competentia civilis potestatis circa mere civiles eiusdem matrimonii effectus.

Plures fuerunt animadversiones circa primam partem huius canonis vel quia dixerunt esse inutile in textu iuridico principia doctrinalia revocare, vel quia nonnullis videbatur doctrinam traditionalem circa competentiam Ecclesiae esse revisendam.

Etiam Consultores, uno excepto, censem primam partem supprimi posse quia continet principia doctrinalia quae non debent referri in textu iuridico.

Fit suffragatio an placeat supprimere primam partem: Placet n. 6 - Non placet n. 1.

Circa alteram partem canonis sequentes animadversiones factae sunt ab Organis consultationis:

a) Aliqui proposuerunt verba « sed etiam ecclesiastico » loco « sed etiam canonico », ita ut aperta maneat quaestio an ius divinum sit ius canonicum.

Etiam duo Consultores vellent mutare verba « iure canonico » sed omnes alii sunt contrarii.

b) De verbo « mere » suggestum est ab aliquibus ut supprimatur, quia videtur nimis restringere potestatem auctoritatis civilis circa matrimonium.

Aliquis Consultor revocat inclusionem illius verbi « mere » factam fuisse quando auctoritates civiles vindicabant potestatem circa materiam separationis coniugum. Post aliquam discussionem omnes Consultores concordant ut retineatur verbum « mere ».

c) Aliquis Consultor supprimere vellet verba « etsi una tantum pars sit baptizata », sed alii Consultores volunt illa verba retinere.

d) Duae Conferentiae Episcopales censem hunc canonem de competentia Ecclesiae circa matrimonium esse locum aptum ad eximendos a legibus mere ecclesiasticis acatholicos qui contrahunt inter se vel cum parte non baptizata.

Aliquis Consultor autem censet necessariam esse legem quae positive dicat quo iure regantur matrimonia baptizatorum qui non sunt in Ecclesia catholica, eo vel magis quod in nostro schemate acatholici

eximuntur a legibus de impedimentis iuris ecclesiastici et a forma canonica, ergo dici debet quo iure regantur illa matrimonia. Quare Consultor hanc formulam proponit:

« Matrimonium eorum qui extra Ecclesiam catholicam baptizati sunt, nec in eam recepti, regitur iure divino et iure religioso vel civili, quo regitur (matrimonium) in coetu christiano ad quem quisque pertinet ».

Duo Consultores censem non esse necessariam nisi ad exigentiam quandam systematicam, quia de facto acatholicorum nihil interest de nostra lege, imo haec lex male acciperetur ab oecumenistis. Praeterea per talem novam legem fieret remissio ad alias leges et indirecte agnosceretur competentia aliarum communitatum ecclesialium (praeter catholicam) circa matrimonium.

Tres alii Consultores censem remissionem illam ad alias leges esse tantum formalem, quae non importat agnitionem competentiae illarum societatum circa matrimonium.

Aliquis Consultor mentionem facit alicuius normae Legis Fundamentalis (can. 7 § 2), qua declaratur acatholicos non teneri legibus mere ecclesiasticis nisi expresse dicatur et ideo, dicit ipse, non videtur necessaria alia specifica norma pro materia matrimoniali; quod si maioriati Consultorum talis norma videatur necessaria, haec formula adhiberi posset:

« Matrimonium eorum qui licet baptizati non ad plenam communionem Ecclesiae catholicae pertinent regitur iure divino necnon normis in communitate ecclesiali ad quam pertinent vigentibus ».

Haec formula carpitur ab alio Consultore, quia etiam baptizati in Ecclesia catholica possunt non plenam communionem cum Ecclesia habere. Attamen, seposita quaestione formulae, Consultores adhuc disputant de opportunitate introducendi hanc normam in Codice. Aliquis norma videtur necessaria, secus illa matrimonia regerentur tantum iure divino; aliis non videtur necessaria imo periculosa sive quod secus recognosceretur competentia aliarum communitatum ecclesialium, sive quod obstant rationes oecumenicae sive quod ratio lacunae implendae non videtur tam cogens, cum illa matrimonia regantur iure divino et consuetudinario. Fit suffragatio an placeat hanc novam normam introducere: Placet n. 2 - Non placet n. 3 - Abstinet n. 1.

Can. 246

Matrimonium gaudet favore iuris; quare in dubio standum est pro valore matrimonii, donec contrarium probetur, salvo praescripto can. 345.

Praincipuae animadversiones circa hunc canonem agunt vel de suppressione vel de mitigatione favoris iuris quo gaudet matrimonium. Quoniam autem haec quaestio submittetur iudicio Patrum Cardinalium in Plenaria quam habebunt mense maio 1977, Consultores nullam de hac re discussionem faciunt.

Can. 247

§ 1. Matrimonium quodlibet validum dicitur legitimum.

§ 2. Matrimonium baptizatorum validum dicitur ratum, si nondum consummatione completum est; ratum et consummatum si coniuges inter se (humano modo) posuerunt coniugalem actum per se aptum ad prolis generationem, ad quem natura sua ordinatur matrimonium, et quo coniuges fiunt una caro.

§ 3. Celebrato matrimonio, si coniuges simul cohabitaverint, prae sumitur consummatio, donec contrarium probetur.

§ 4. Matrimonium quodvis invalidum dicitur putativum, si in bona fide ab una saltem parte celebratum fuerit, donec utraque pars de eiusdem nullitate certa evadat.

Quoad § 1

Plures petierunt suppressionem huius § 1 ob varias rationes. Cum enim non oporteat omnes species matrimoniorum definire, nulla apparet ratio cur definiatur sensus termini « matrimonii *legitimi* », qui ceterum est satis obvius. Praeterea termino « matrimonio legitimo » nullus effectus iuridicus peculiaris tribuitur, qui non sit proprius matrimonio *valido*. Ceterum terminus « matrimonium legitimum » non adhibetur, ne semel quidem, in toto novo iure matrimoniali; ad quid ergo definitio technica, quae numquam adhibetur in iure?

Fere omnes Consultores concordant circa suppressionem, uno excepto; post brevem discussionem tandem omnibus placet supprimere § 1.

Quoad § 2

— Suggestum est ab aliquibus ut dicatur « matrimonium inter baptizatos » loco « baptizatorum », quia non certum est omne matrimonium personae baptizatae esse sacramentum, ex. gr. quando una pars non sit baptizata. Fit suffragatio an placeat haec propositio: Placet n. 5 - Non placet n. 2.

— Aliquis Consultor proponit ut dicatur « si non est consummatum » loco « si nondum consummatione completum est », quia verbum « non completum » dicit aliquid quod caret aliquo elemento constitutivo. Exitus suffragationis huius propositionis est: Placet n. 5 - Non placet n. 2.

— De verbis « humano modo » longe maior pars responsionum Organorum consultationis indicant favorem pro conservatione illorum verborum in textu canonis, ita ut clare appareat non haberi actum coniugalem nisi ponatur modo humano. Animadversum est tamen ab aliquibus illa verba in contextu hodierno esse superflua, quia nemo admittit haberi actum coniugalem quando non peractus sit modo humano; doctrina contraria, non obstante responso S. Officii diei 2 februarii 1949, superata est, nec videtur necessarium ut inserantur in textu verba « humano modo » ad illam doctrinam reiiciendam. Ex alia parte non pauci timent ne, per insertionem illorum verborum in canone, ansa detur pro multiplicatione in infinitum casuum de dispensatione super ratum et non consummatum. Tandem non desunt qui, actum coniugalem uti exercitium iuris considerantes, censem verba « humano modo » esse omnino delenda.

Consultores, post amplam discussionem, sententiam exprimunt per se illa verba deleri posse, quia nihil addunt doctrinae quae tenet matrimonium non consummari nisi per actum humanum ab ambobus sponsis volitum. Tamen quoniam illa Organa consultationis, quae suppressionem illorum verborum petierunt, aliquantulum videntur indulgere doctrinae contrariae, ipsi Consultores censem ut opportune verba « humano modo » retineantur in textu canonis, salvo iudicio altioris instantiae.

— Nonnulli proposuerunt suppressionem verborum « ad quem natura sua ordinatur matrimonium » sive quia de ordinatione matrimonii ad prolem iam dictum est in can. 243, § 1, sive quia haec locutio non est omnino vera, cum matrimonium ordinatum sit ad prolem, non ad coniugalem actum.

Post aliquam discussionem huius suggestionis, suffragium petitur an placeat retinere illa verba: *Omnibus placet.*

— Etiam de verbis « et quo coniuges sunt una caro » suggestum est ab aliquibus ut supprimantur vel quia superflua videantur, vel quia secundum aliquos una caro habetur potius in prole, vel quia illa verba restringunt ambitum actus coniugalis ad meram unionem physiologicam.

Aliqui Consultores favent suppressionem, alii autem sunt contrarii quia illa verba « una caro » inveniuntur in tota traditione.

Fit suffragatio an placeat supprimere illa verba: Placet n. 3 - Non placet n. 4.

Quoad § 3

Fuerunt qui dixerunt normam de praesumptione consummationis, quando coniuges simul cohabitaverint, transferri posse ad ius processuale.

Fit suffragatio de hac suggestione: Placet n. 2 - Non placet n. 5.

Quoad § 4

Aliqui proposuerunt suppressionem verbi « quodvis » ad confusiones vitandas, at Consultores unanimiter censem hoc verbum suum valorem hic habere, quapropter non esse supprimendum.

Proponitur nova §

Nonnulli proposuerunt ut transferarur huc norma can. 293 § 2 (CIC 1078) et ita argumentati sunt: illa norma non debet manere ubi nunc est, secus gignet confusionem; videbitur enim matrimonium civile non considerari matrimonium invalidum nisi ad effectum impedimenti publicae honestatis, quod non videtur esse iuxta mentem Commissionis. Posset etiam illa norma supprimi, siquidem ex eo quod in nova redactione can. 247, § 4 additur verbum « quodvis » et non colligitur declaratio authentica Comm. Interpretationis diei 26 jan. 1949 inserendo verba « coram ecclesia celebratum fuerit », satis clare eruitur mentem Commissionis esse ut matrimonium civile consideretur in novo Codice ut matrimonium invalidum ac posse esse etiam putativum. Tamen, claritatis causa opportunum est ut illa norma huc transferatur, hoc modo cognita:

« Matrimonium invalidum intelligitur etiam matrimonium civiliter contractum, quod est propter defectum formae canonicae invalidum ».

In discussione huius propositionis sequentes sententiae habentur: unus Consultor censet illam normam supprimi posse, stante verbo « quodvis » in § 4 huius canonis 247. Alius Consultor dubitat omnimodam claritatem obtineri tantum per illud verbum « quodvis » et proponit ut § 4 ita compleatur: « matrimonium quodvis invalidum, *etsi mere civiliter contractum*, dicitur putativum, etc. ... ». Alii Consultores autem proponunt ut supprimatur verbum « quodvis » in § 4 et introducatur huc nova §, ut supra proposita. Post aliquam discussionem haec novissima propositio omnibus placet.

Can. 248

§ 1. Matrimonii promissio sive unilateralis sive bilateralis seu sponsalia reguntur iure particulari, quod ab Episcoporum Conferentia, habita ratione consuetudinum et legum civilium, si quae sint, statutum fuerit.

§ 2. Ex matrimonii promissione non datur actio ad petendam matrimonii celebrationem; datur tamen ad reparationem damnorum, si qua habeantur.

Quidam (paucissimi tamen) petierunt ut iste canon penitus supprimatur, cum institutum sponsalium non amplius vigeat.

Consultores autem unanimiter concordant circa opportunitatem servandi hunc canonem, quo materia remittitur iuri particulari, ita ut, si alicubi institutum sponsalium persentitur in moribus populi, opportunis legibus ordinetur.

Aliquis Consultor proponit ut in fine dicatur « si qua debeatur » loco « si qua habeantur ». Propositio omnibus placet.

Can. 249

Pastores animarum, vi officii sui tenentur, ut munus impertiendi catecheticam instructionem de matrimonii sacramento adimpleant, secundum normas ab auctoritate ecclesiastica tradendas.

Cum plura Organa consultationis petierint ut tota materia de cura pastorali pro matrimonio ampliori modo et fusius tractetur, commititur Relatori, adiuvante alio Consultore, ut novum schema canonum « de cura pastorali et de iis quae matrimonii celebrationi praemitti debent » praeparent, ubi fusius tractetur sive materia huius canonis 249, sive aliorum canonum sequentium qui ad rem pertinent et praे-

terea ratio habeatur suggestionum quae ab Organis consultationis factae sunt circa hanc materiam. Hoc schema canonum examinabitur a Consultoribus proximis diebus.

ADUNATIO IV

Cum materia canonum 249-258 novam redactionem habebit, quae postea examinabitur, discussioni Consultorum nunc proponuntur canones de impedimentis in genere.

Can. 259 (CIC 1035)

Omnes possunt matrimonium contrahere qui iure non prohibentur.

— De hoc canone suggestio facta est ab aliqua Universitate quae novam formulam ita proposuit: « Omnes Christifideles ius habent contrahendi matrimonium, nisi impedimento detineatur in iure expresse sancito ».

Consultores post brevem discussionem circa hanc formulam, censem retinendum esse textum prouti est in schemate, quia praebet formulam generalissimam.

— Suggestum est etiam ut hic canon transferatur inter canones praeliminaires de matrimonio, quae quidem suggestio non placet Consultoribus, quia magis proprius videtur hic locus ubi recensentur casus afficientes ius ad matrimonium contrahendum.

Can. 260

§ 1. Impedimentum prohibens secumfert grave vetitum contrahendi matrimonium; quod tamen irritum non redditur, si, non obstante hoc impedimento, contrahatur.

§ 2. Impedimentum dirimens et prohibet matrimonium contrahendum, et impedit quominus valide contrahatur.

§ 3. Impedimentum quamvis ex alterutra parte tantum se habeat, matrimonium tamen reddit aut illicitum aut invalidum.

Quoniam plures suggestiones circa redactionem huius et sequentium canonum pendeant a quaestione praeliminari, quae a pluribus Organis facta est, ut nempe supprimatur in novo Codice categoria impedimentorum prohibentium, Consultores hanc quaestionem praeliminarem aggrediuntur.

Quaestio ita proposita est: impedimenta sic dicta prohibentia sunt tantummodo tria: votum publicum temporaneum castitatis perfectae, cognatio legalis ubi viget in iure civili, et mixta religio. Iam vero ex his impedimentis:

a) Impedimentum voti publici temporanei castitatis perfectae (can. 274), nihil operatur in iure, siquidem huiusmodi votum tantummodo emittitur in statu publico vitae consecratae, qui status est incompatibilis statui matrimonii. Patet eum qui ad statum vitae consecratae pertinet, pluribus legibus prohiberi — nec tantum voto castitatis — ne matrimonium ineat. Patet praeterea ab hoc impedimento numquam posse directe dispensari. Dispensatio concedetur semper super voto quod est radix impedimenti, reducendo religiosum ad statum laicalem. Nulla ergo appetet ratio obiectiva cur votum publicum castitatis in *impedimentum prohibens*, formaliter tale, constituatur. Quia impedimentum prohibens remanet merus flatus vocis.

b) Impedimentum cognitionis legalis (can. 275, CIC 1059, et can. 294, CIC 1080), iam creavit magnas difficultates codificatoribus CIC. Denique elegerunt viam canonizationis legum civilium. Difficultas tamen gravissima viae canonizationis hac in re in eo stat quod categoriae iuridicae legum civilium non semper sunt eadem ac iuris canonici, praesertim leges irritantes vel inhabilitantes quod spectat. Saepe impossibile est determinare utrum lex civilis constitutum impedimentum prohibens an dirimens, iuxta nostras categorias. Praevideri posset aliqua norma in cap. I (De iis quae matrimonii celebrationi praemitti debent) iuxta quam parochus non potest assistere, sine licentia Ordinarii, matrimonio quod recognosci vel celebrari nequeat in foro civili, et ita satis provisum esse videtur in iure canonico pro illis rarissimis casibus qui occurrere solent de matrimonio inter eos qui ligantur cognitione legali. Ideo ius canonicum posset prorsus tacere de hac materia, supprimendo igitur et impedimentum prohibens (can. 275, CIC 1059), et impedimentum dirimens (can. 294, CIC 1080). Attamen si hoc nimis videtur, saltem videtur opportunum supprimere impedimentum prohibens (can. 275), quia nihil fere operatur (praesertim si acceptatur norma de qua nuper dictum est). Remaneret tantummodo canonizatione quoad impedimentum dirimens, ubi tale viget in iure civili. Lex canonica simplicior redderetur et nullum inconveniens notabile sequebatur ex tali simplificatione.

c) Impedimentum mixtae religionis in novo Codice melius presentaretur, non formaliter qua impedimentum, sed simpliciter ut prohibitio ne matrimonium celebretur, nisi servatis peculiaribus normis pastoralibus et iuridicis. Tota materia de matrimoniis mixtis posset in capite separato ita ut melius appareat illa matrimonia normis peculiaribus regi. Ordo enim qui habetur in CIC, quique reproponitur in novo Schemate, est valde imperfectus. Nam rubrica capitinis est *de impedimentis prohibentibus* et tamen praeter enuntiationem trium impedimentorum prohibentium, quae nunc habentur, totum caput agit de dispensatione impedimenti mixtae religionis. Si tota materia de matrimoniis mixtis poneretur in uno capite separato appareret clarius eius unitas et foveretur magis spiritus oecumenismi, vitato termino impedimenti. Re quidem vera potius quam de impedimento prohibente agitur de normis peculiaribus servandis ut matrimonium inter catholicum et acatholicum baptizatum licite celebrari possit.

Post hanc expositionem quaestionis, Consultores considerare attente volunt vim et incidentiam suppressionis impedimentorum prohibentium in disciplina canonica de matrimonio.

Consultores, quibus placet haec propositio, dicunt impedimenta impudentia nullum effectum habere nisi in ordine morali, quia matrimonium esset tantum illicitum. Unicus effectus iuridicus consistit in hoc quod parochus potest legitimate recusare ut matrimonio assistat.

Consultores autem, qui volunt retinere novo in Codice impedimenta impudentia, extollunt functionem paedagogicam huius instituti, ita ut ii qui illis impedimentis afficiuntur dissuadeantur a contrahendo matrimonio.

Tandem post amplam et accuratam disceptationem fit suffragatio an placeat supprimere impedimenta prohibentia: Placet n. 4 - Non placet n. 3.

Cum quaestio praeliminaris de suppressione impedimentorum prohibentium soluta sit, examinantur animadversiones circa can. 260.

Quaedam Organa consultationis, quae petierunt suppressionem impedimentorum prohibentium, proposuerunt suppressionem quoque § 1^{ae} can. 260, in qua edicitur quaenam sit vis impedimenti prohibentis.

Consultores autem unanimiter retinere volunt § 1^{am}, quia etiamsi supprimantur impedimenta prohibentia in lege generali Ecclesiae, non ideo ipsa notio impedimenti prohibentis supprimi debet, cum in cano-

nibus sequentibus facultas detur Conferentiis Episcoporum constituendi impedimenta prohibentia pro suo territorio.

Aliquis Consultor proponit ut supprimatur in § 1^a verbum « grave ». Haec propositio placet 6 - non placet 1.

— De § 2 Consultores concordant ut retineatur prouti est.

— Circa § 3 habetur propositio alicuius Consultoris ut deleatur quia norma est obvia et nihil in iure operatur. Alius Consultor timet ne per hanc suppressionem aliqui in errorem inducantur, sed plures alii Consultores excludunt possibilitatem erroris in hoc casu. Fit suffragatio an placeat supprimere § 3: Placet n. 5 - Abstinent n. 2.

Can. 261 (CIC 1037)

Publicum censetur impedimentum quod probari in foro externo potest; secus est occultum.

Suggestum est ab una tantum Universitate studiorum ut supprimatur hic canon. Propositio autem non placet Consultoribus.

Can. 262 (CIC 1038)

§ 1. *Supremae tantum Ecclesiae auctoritatis est authentice declarare quandonam ius divinum matrimonium prohibeat vel dirimat.*

§ 2. *Eidem supremae auctoritati privative ius est alia impedimenta matrimonium prohibentia vel dirimentia pro baptizatis constituendi, salvo praescripto § 3.*

§ 3. *Episcoporum Conferentiae, attentis peculiaribus adiunctis, impedimenta particularia sive prohibentia sive dirimentia constituere possunt, decreto ad normam iuris lato.*

— De § 1 nulla animadversio facta est.

— De § 2 aliqui opinati sunt verbum « privative » supprimi debere, stante § 3^a. Attamen Consultores censem illud verbum suum valorem habere etiam erga auctoritates civiles, ideoque ipsis non placet idem verbum delete.

— De § 3 nulla discussio habetur, cum quaestio an conveniat tribuere Episcoporum Conferentiis facultatem constituendi impedimen-

ta etiam dirimentia submissa sit decisioni Plenariae E. morum PP. Cardinalium.

Can. 263 (novus)

Impedimentis iuris mere ecclesiastici tenentur tantum illi qui sunt in Ecclesia catholica baptizati vel in eam recepti nec actu formaliter ab ea defecerunt.

Duo Consultores in mentem revocant can. 7, § 2 Schematis Legis Ecclesiae Fundamentalis, quo edicitur acatholicos « ordinationibus mere ecclesiasticis directe obligari non intelliguntur, nisi aliud statuatur »; ideo, stante illo canone, praesens can. 263 supprimi potest.

Alius Consultor concordat pro suppressione huius canonis, stante illa norma LEF, quae tamen respicit acatholicos, non vero apostatas. Manet ergo quaestio quoad apostatas an eximendi sint. Si apostatae a fide eximerentur a lege de impedimentis ecclesiasticis oporteret ab hac exemptione excipere saltem illos qui impedimento ordinis ligantur. Attamen non videtur opportuna norma ad eximendos apostatas ab ista vel illa lege mere ecclesiastica, secus indirecte affirmaretur illos teneri omnibus aliis legibus mere ecclesiasticis valorem dirimentem habentibus. Pro apostatis ergo decerni debet an eximendi sint *a sola forma canonica, vel ab omnibus legibus dirimentibus*. Fit discussio inter Consultores ad perpendenda commoda et incommoda unius vel alterius solutionis et in fine omnes concordant apostatas eximendos esse *a sola forma canonica*.

Tandem fit suffragatio an placeat supprimere can. 263, stante can. 7, § 2 LEF: Omnibus placet suppressio.

Can. 264 (novus)

Sola suprema Ecclesiae auctoritas potest impedimenta iuris ecclesiastici abrogare aut illis derogare, salvo iure Episcoporum Conferentiae abrogandi impedimenta a se instituta vel illis derogandi.

Nonnulli proposuerunt ut materia huius canonis transferatur ad can. 262, ubi sermo est de potestate constituendi impedimenta; ibi fusius dici potest et de potestate constituendi et de potestate abrogandi impedimenta.

Fere omnes Consultores censem hanc propositionem recipi posse, at unus Consultor animadverit normam can. 264 esse prorsus inutilem,

quia est omnino obvia; qui enim habet potestatem ferendi legem, habet quoque potestatem abrogandi illam vel eidem derogandi. Haec novissima animadversio placet omnibus Consultoribus, ideoque can. 264 penitus supprimitur.

ADUNATIO V

Relator Consultoribus praebet schema canonum quibus tota materia de praeparatione pastorali ad matrimonium necnon de iis quae celebrationi matrimonii praemitti debent novo ordine ac fusius disponitur, secundum munus ab ipso Coetu commissum. Novum schema ita proponitur:

Caput I. DE CURA PASTORALI ET DE IIS QUAE MATRIMONII CELEBRATIONI PRAEMITTI DEBENT.

Can. 249

Christifidelibus ius est, ut Ecclesia et in specie propria communitas ecclesialis efficacem assistentiam praebeant ut status matrimonialis in spiritu vere christiano conservetur et progrediatur.

Haec assistentia imprimis praebenda est:

- 1) *institutione de significatione matrimonii christiani ac de munere coniugum ac parentum christianorum in praedicatione, in usu instrumentorum communicationis, in catechesi minoribus, iuvenibus et adultis aptata;*
- 2) *praeparatione personali ad matrimonium ineundum, ita ut sponsi ad novi sui status officia et sanctitatem disponantur;*
- 3) *liturgica foederis matrimonialis celebratione in qua « hominum Salvator Ecclesiaeque Sponsus per sacramentum matrimonii christifidelibus coniugibus obviam venit »;*¹
- 4) *auxilio pastorali pro coniugatis ut « magis ac magis ad propriam suam perfectionem mutuamque sanctificationem ideoque communiter ad Dei glorificationem accedunt »;*² et maxime assistentia matrimoniali et familiali perita et efficaci.

¹ Cf. Const. *Gaudium et Spes*, n. 48.

² *Ibid.*

Can. 250

Conferentiae Episcoporum et Episcopi dioecesani saepius deliberationem instituendam current de assistentia praedicta, illique in cura pastorali, sive regionali et dioecesana, sive personali prioritatem tribuant. In hoc munere exsequendo adiutorium quoque adhibeant viorum et mulierum experientia et peritia probatorum.

(Nota: Cogitari potest de speciali commissione Conferentiae Episcoporum; de instituendo Vicario speciali; de coetibus specialibus in variis consiliis pastoralibus, etc.).

Can. 251 = can. 250 schematis (de normis statuendis a Conf. Ep. circa examen sponsorum, investigationes etc.).

Can. 252 = can. 251 schematis: de confirmatione (confessione et communione?).

Can. 253 = can. 249 § 1 schematis: cura ne quid obstet validae aliciae celebrationi.

Can. 254 = can. 249 § 2 schematis: in periculo mortis.

Can. 255 = can. 252 schematis: obligatio revelandi impedimenta.

Can. 256 = can. 254 schematis: communicatio exitus investigationis.

Can. 257 = canon de casibus in quibus licentia Ordinarii loci requiritur ut matrimonio assisti possit.

* * *

Consultores examinant hoc novum schema et ante omnia quaeritur an placeat rubrica quae inscribitur: « De cura pastorali et de iis quae matrimonii celebrationi praemitti debent ». Haec rubrica omnibus placet.

Deinde examinatur novus textus can. 249. Praecipua animadversio quae habetur est de primis verbis quibus asseritur *ius christifidelium* ut Ecclesia et in specie propria communitas ecclesialis efficacem assistentiam ipsis praebat in praeparatione ad matrimonium.

Unus Consultor censet non haberri strictum *ius fidelium* ad curam pastoralem; si hoc *ius* haberetur, etiam actionem haberent fideles ad suum *ius exigendum* ac *tuendum* contra communitatem ecclesiam negligentem, quod quidem non potest admitti.

Alius Consultor e contra censet agi de vero iure *fidelium*, de quo

tamen non tota communitas ecclesialis, sed eorum reprezentantes respondere debent.

Etiam Relator dicit agi de stricto iure; Ecclesia enim plures leges et onera imponit fidelibus in re matrimoniali et consequenter admitti debet correspondens ius fidelium ut adaequate instruantur circa onera e sacramento matrimonii provenientia.

Secundum tertium Consultorem melius est si in canone sermo sit *de obligatione* quam habent pastores impertiendi instructionem et curam de matrimonio. Nam in testibus iuridicis sermo potius est *de obligationibus*, quibus implicite correspondent iura, quin expresse sermo fiat de ipsis iuribus.

Post aliquam discussionem fit suffragatio an placeat loqui in canone *de obligatione* pastorum, vel potius *de iure christifidelium*. Maioritati (4 contra 3) placet loqui de obligatione pastorum.

Post hanc suffragationem Consultores communi consilio textum canonis ita redigunt:

Pastores animarum obligatione tenentur curandi ut propria ecclesiatis communitas christifidelibus assistentiam praebeat qua status matrimonialis in spiritu christiano servetur et in perfectione progrediatur. Haec assistentia imprimis praebenda est:

1) *praedicatione, catechesi minoribus, iuvenibus et adultis aptata, imo usu instrumentorum communicationis socialis, quibus christifideles de significatione matrimonii christiani deque munere coniugum ac parentum christianorum instituantur;*

2) *praeparatione personali ad matrimonium ineundum, qua sponsi ad novi sui status sanctitatem et officia disponantur;*

3) *fructuosa liturgica matrimonii celebratione; qua eluceat coniuges mysterium unitatis et foecundi amoris inter Christum et Ecclesiam significare atque participare;*

4) *auxilio coniugatis praestito, ut foedus coniugale fideliter servantes atque tuentes, ad sanctiorem in dies pleniorernque in familia vitam ducendam perveniant.*

Deinde communi item consilio Consultores ita redigunt textum can. 250:

Episcopi dioecesani est, attentis etiam consiliis Episcoporum Conferentiae, de pressius ordinanda eadem assistentia curare, auditis etiam, si opportunum videatur, viris et mulieribus experientia et peritia probatis.

